

minabit supereminentem fructum et mundus totus replebitur misericordia et maiestate et dabo vobis gaudium magnum novum. Ita ut sitis fructus novus veteres colligentes manna; protegam vos ab omni cura et terrore; avertam iram meam a vobis et de peccatis ulterius non cogitabo et habebitis vitam et abundantiam, quamdiu vixeritis super terram, replebo domos vestras ubertate plenaria. In die vero vobiscum erit mea ingens misericordia faciamque vos in regno polorum regnare et congaudere cum meis sanctis preelectis in secula seculorum. Amen.

Volo, ut quicumque hominum fuerit contumax et rebellis contra epistolam hanc et verba prenotata, sit excommunicatus et dampnicatus et confusus eterno patri celesti. Quicumque vero crediderit, super illum maneat benedictio mea in eternum et tota domus sua benedicatur; et si quis hominum habens aliquid contra proximum suum volens communicari et procurari sacro corpore meo, prius debet reconciliari proximo suo. Si autem [non] reconciliari voluerit, securus accedat et communicet, quia ab ipso vite salus est. Sed inimicus propter suam contumaciam habebit perpetuam meam maledictionem. Quicumque die dominico iudicaverit et ille, qui aliquem ad faciendum iuramentum coram iudice concitaverit, simul dampnati sunt, quia iudicia die dominico non debent esse in eternum. Si iudex concitaverit, simul sunt dampnati. Sciatis, quia potestatem habeo in celo et in terra, in mari et in profundo inferni, et omnis creatura mea et omnia ante conspectum et maiestatem meam tremescere et trepidare concernunt (!), et adhuc diem dominicum vestro corpore sceleroso et iniquitate pleno violare soletis. Ita insensati et infideles et confusi estis totus vomes (!) vestrorum scelerum, numquam habentes nec pacem corpori preparantes. Considerate, quomodo tunc potestis (297v) aut requiem eternalem iam possidere; intelligite veritatem et servate mea precepta et custodite diem dominicum per me sanctificatum. Quoniam dies mei sunt. Ego enim creavi diem et horam et dedi vobis omnia, que possidetis. Notate diem et horas; omnia vestra sunt et omnis creatura preter vos miseros et infideles recognovit suum creatorem. O miseri, non cognoscere volentes vestrum plasmatorum! Melius vobis foret, quod non fuissetis, quia